



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Qvaestio LXXXII. De ritu huius Sacramenti. In Sex Articulos diuisa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



dentis me, mecum est in mensa. Idem docent Patres: Dionysius Areopagita de Ecclesiast. Hierarchia c. 3. p. 3. sed non nihil obscure. Et aperte August. Tract. 62. in Ioannem, & Commentario in Psal. 10. & epist. 162. Chrysostomus hom. 46. in Ioan. & homil. 2. de prodicione Iudæ. Ambrosius lib. de Apologia David sub finem. Cyprianus ferm. de Cœna Domini: & alij. Denique Magister, & Doctores dist. 11.

in forma naturali est impassibile, eadē impassibilitas est in Eucharistia, sicut & cetera Corporis dotes. Nam ex vi institutionis tale ponitur Corpus Christi in Eucharistia, quale est in seipso, excepta actuali extentione ad locum.

ARTICVLVS IV.

*Verum, si hoc Sacramentum fuisset seruatum, vel consecratum in triduo mortis, Christus ibi fuisset mortuus?*

**R**espondetur Affirmatiuè. Notandum hoc valdè esse credibile: nam Christus absolutè volebat mori pro genere humano: atqui nõ fuisset absolutè mortuus, si in Sacramento mansisset viuus. Tamen id non erat necessarium ex natura rei, seu connexione, quam habebat Christus sub Eucharistia ad se ipsum sub forma naturali, vt supra ostensum est; sed solum ex ordinatione diuina naturis rerum consentanea.

Probabilis tamè videtur, dolores in Eucharistia non futuros, sicut nec læsiones: quia cum naturaliter non possint ibi resultare ex dolore, quem habebat in forma naturali, debuissent diuinitus infligi magno miraculo: quod non videtur satis consentaneum diuinæ bonitati & sapientiæ.

Christus ibi fuisset mortuus, sed sine dolore vel læsione.

ARTICVLVS III.

*Verum Christus sumpserit, & dederit Discipulis Corpus impassibile?*

**R**espondeo & Dico Primò, Sumpsisse & dedisse Corpus suum passibile, sed modo impassibili: sicut id, quod est visibile, dedit modo inuisibili.

Passibilitas vel Impassibilitas est in Eucharistia concomitanter.

Vbi aduerte, passibilitatem, & impassibilitatem esse in Eucharistia concomitanter, sicut & ceteras qualitates: vnde quando ipsum Corpus in forma naturali erat passibile, eadē passibilitas ponebatur in Eucharistia, quamuis non posset ibi ab extrinsecò pati, vel etiam ab intrinsecò naturaliter; ac proinde ponebatur ibi modo impassibili: nõ enim magis poterat ibi naturaliter pati, quàm si in se impassibile fuisset. Nunc verò quia Corpus Christi

QVÆSTIO LXXXII.

De Ministro huius Sacramenti.

*Hic tribus Articulis tractata.*

ARTICVLVS I.

*Verum consecrare hoc Sacramentum sit proprium Sacerdotis?*

Hæresis Lutheri, & aliorum.

**N**otandum est, Lutherum lib. de Captiuitate Babylonica cap. de Ordine, docere omnem Christianum per baptismum habere potestatem consecrãdi. Alibi adiungit etiam Diabolum posse consecrare, modò verba pronuntiet. Quod est satis consentaneum ipsius principijs; quorum vnũ est, Sacramenta non operari, nisi excitando fidem: signa enim & verba sacramentalia possunt excitare fidem, à quocunque adhibeantur. Quare Calvinistæ non satis consequenter loquuntur, dum hac in re à Lutheranis recedunt, affirmantes neminem habere potestatem baptizandi, aut Eucharistiam administrandi, nisi Ministrum publicum ad hoc deputatum, esseque irritum, si aliter fiat. Pro veritate:

Soli Sacerdotes habent potestatem consecrãdi Eucharistiam.

Dico Primò, Fide tenendum est, solos Sacerdotes ritè ordinatos, habere potestatem consecrãdi Eucharistiam. Patet hoc ex Concilio Nicæno I. can. 14. vbi inter cetera dicitur, *Sacerdotes habere potestatem offerendi Corpus Domini, non autem Diaconos.* Item ex Concil. Lateranensi sub Innocentio III. *Hoc Sacramentum nemo potest conficere, nisi fuerit Sacerdos ritè ordinatus.* Denique ex Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. & can. 2. & sess. 23. cap. 1. & 4. & can. 6. Probatur Primò, Ex Scriptura: Luc. 22. v. 19.

*Hoc facite in meam commemorationem:* quod non est dictum, nisi solis Apostolis, & eorũ in Sacerdotio successoribus; vt docet Concilium Trident. ergo non est omnium conficere hoc Sacramentum: Consequentia probatur; Quia illi soli possunt hoc conficere, quibus id à Domino est commissum.

Probat ex verbis, Hoc facite, &c.

Antecedens probatur Primò, Quia his verbis non solum data est potestas, sed etiam præceptum consecrãdi Eucharistiam: atqui præceptum consecrãdi nõ est omnibus datũ, sed solis Apostolis, & eorum successoribus: ergo hæc verba non pertinent ad omnes homines. Dices, Illud, *Hoc facite*, refertur solum ad actionem manducandi, & sic pertinet ad omnes. Sed contrã: Quia inter Euangelistas solus Lucas habet hæc verba, qui non meminit manducationis, sed solum *Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur.* Hoc facite in meam commemorationem. Vnde patet Lucã referre illa verba ad totam Christi actionem; vt sensus sit, *Hoc quod me facere vidistis, facite in meam commemorationem:* id est, *Accipite panem, benedicite, consecrate, offerre, sumite, distribuite:* hæc enim Dominus fecerat, & vnumquodque horum faciendum est in memoriã ipsius. Vnde Apostolus 1. ad Cor. 11. ex istis verbis colligit, etiam manducationem debere fieri in memoriã Dominicæ mortis, non tamen restringit ea ad solam manducationem. Confirmatur, Quia si non referrentur ad totam Christi actionem, nullum extaret præceptum de huius Sacramenti consecratione.

Antecedens



Per quæ  
verba Apo-  
stoli facti  
sunt Sacer-  
dotes,

Antecedens Probatur Secundò, Quia his ver-  
bis Apostoli ordinati sunt Sacerdotes, vt docet  
hic D. Tho. & Concilium Trid. sess. 22. can. 21  
ergo illis solis directè hæc verba sunt dicta.

Dionysius.

Probatur Secundò, hæc propositio: Ex Patri-  
bus. Dionysius Areopagita c. 5. par. 11. Ecclesiast.  
Hierarchiæ, *Nec ipse Sacerdos erit, nisi Pontificalibus*

Ignatius.

*officijs ad hoc fuerit promotus.* Ignatius epist. ad Tral-  
lianos dicit. *Infideli deteriore esse, qui cum non sit Sa-*

Tertul.

*cerdos, audeat aliquid circa altaris ministerium.* Tertull.  
lib. de Præscriptione ridet Marcionistas, quòd

Augustin.

Laicis sacerdotalia munia committerent. D. Aug.  
l. 20. de Ciuit. Dei c. 10. distinguit Sacerdotes spi-  
ritales & improprie dictos, ab Episcopis & Pres-  
byteris, qui proprie & ex officio sunt Sacerdotes.

Probatur Tertio, Ratione: quam vide apud  
D. Thomam.

3  
Ad confe-  
crandi non  
est in mini-  
stro neces-  
saria fides,  
vel bonitas,  
vel iurisdic-  
tio.

Dico Secundò, Præter legitimam ordinatione,  
& intentionem faciendi quod Christus instituit,  
non est quidquam aliud in Ministro absolute nec-  
essarium. Sic non est necessaria fides, vt volebat  
Cyprianus, & postea Donatista. Nec bonitas seu  
iustitia, vt volebat Wicklef. Nec potestas iurisdic-  
tionis. Ratio est, Quia Sacramenta non pendent  
ex fide, vel bonitate ministrorum, sed ex meritis,  
& institutione Christi. Iurisdicctio hæc non requi-  
ritur; quia consecratio nõ est actus iurisdicctionis,  
cùm non respiciat subditum, sed materiam. Vide  
quæ dicta sunt supra qu. 64. & D. Thomam infra  
hæc quæst. art. 5. 6. 7. 8.

Sed contrà obijcitur: 1. Petri 2. v. 9. *Vos autem  
genus electum, regale Sacerdotium, & Apocal. 5. v. 10.  
Fecit nos Deo nostro regnum & Sacerdotes.*

Quomodo  
omnes  
Christiani  
sunt Sacer-  
dotes.

Respondeo; Omnes Christianos tales esse Sacer-  
dotes, quales sunt Reges; scilicet largo & metapho-  
rico modo, quatenus se, & omnia sua Deo offerunt,  
& ad ipsius gloriam referunt. Sicut enim sacrifi-  
cium generatim est omne opus boni, quo sancta  
societate Deo inhaeremus; ita sacerdotium gene-  
ratim est consecratio hominis per baptismum. Sed  
præter hoc sacerdotium, est aliud proprie dictum,  
quo quis constituitur minister publicus populi  
Christiani, & mediator inter ipsum & Deum, vt  
nomine populi, Deo singulare quoddam sacrificiũ  
offerat, & vicissim diuina dona populo dispenset.

ARTICVLVS II.

*Vtrum plures Sacerdotes possint  
eandem hostiam consecrare?*

4

Respondetur Affirmatiuè. Quod intellige, si  
omnino simul verba cõsecrationis consum-  
mant: alioqui is, qui prior absoluit, solus conse-  
crabit, reliqui nihil efficient.

An abro-  
gãdas mos,  
quo recens  
ordinati  
cum Epis-  
copo con-  
secrant.

Notandum est consuetudinem illam, qua noui  
Sacerdotes consecrant in ordinatione, nõ esse vni-  
uersalis Ecclesiæ. Vnde Durandus dist. 13. qu. 3.  
audet eam improbare, dicitque esse abrogandam.  
Verùm quia etiam in Ecclesiã Romana, & pleris-  
que alijs seruetur, non est priuatorum Episcoporum  
auctoritate facile abroganda. Nã in vetusto Pon-  
tificali Romano, vt refert Caietanus, de recens  
ordinatis dicitur, *Dicant omnia, qua sunt in Missa-  
li, sicut si celebrarent.*

5

Sunt autem tres vel quatuor modi, quod ad  
praxim attinet. Primus, Vt recens ordinati, etiãsi  
verba consecrationis ante Episcopũ pronuntiant,

omnes tamen referant suam intentione ad instans,  
quo finiet Episcopus. Ita faciendum iudicat In-  
nocentius III. lib. 4. de mysterio Missæ c. 25. &  
D. Thomas, quos sequuntur plerique Thomistæ &  
Summistæ. Sed hic modus patitur nonnullã diffi-  
cultatem: nam frustra refertur intentio ad illud  
instans, si reuerà illo instanti non finiatur forma,  
quod rarissimè cõtingit. Nam virtus verborũ nõ  
potest suspendi pro arbitrio nostro; imò neque pro  
arbitrio totius Ecclesiæ; sed in vltimo instãti pro-  
lationis operatur, modò legitima adstet intentio.

Potest hæc  
consecratio  
fieri qua-  
drupliciter.

Secundus modus est, vt diligenter attendant, ne  
ante Episcopũ verba consecrationis pronuntiant.  
Si tamè contingat ante illũ finire cum intentione  
consecrandi, verè cõsecratur, & Episcopus nihil  
postea faciet. Sed hoc etiam videtur incommodũ  
non exiguum: si enim contingat eos præuenire,  
principalis sacrificans reuerà nõ sacrificabit; actus  
enim sacrificandi potissimũ in consecratione cõ-  
sistit. Deinde, super materia cõsecrata rursus verba  
consecrationis proferentur: quod videtur esse sac-  
rilegũ: nã materia non est amplius consecrabilis;

Tertius modus est, vt non intendant determi-  
natè consecrare, vel non consecrare; sed solũ in-  
tendant facere id, quod Ecclesiã per illã cõremo-  
niam instituit. Ita consulit hic Caietanus, estque  
bonum consilium, & tutus modus.

Quartus modus, vt absolute intendant solũ  
pronuntiare illa verba recitatiuè, in signum pote-  
statis acceptæ, cum intentione conditionata con-  
secrandi, si fortè cõtingat simul cum Episcopo  
absoluere. Et hic quoque modus tutus est, maxi-  
mèque rationi consentaneus.

ARTICVLVS III.

*Vtrum dispensatio huius Sacra-  
menti pertineat ad solum  
Sacerdotem?*

Respondetur Affirmatiuè. Probatur tribus  
rationibus: de quibus prima & secunda bene  
conuincunt soli Sacerdoti, & nulli inferiori dis-  
pensatione huius Sacramenti iure diuino conue-  
nire ex auctoritate Ordinis, & officij. Solus enim  
Ordo Sacerdotalis, sicut constituit propriũ mini-  
strum qui hoc Sacramentum consecret; ita etiam  
constituit, qui consecratum populo dispenset.

6  
Responso  
est affir-  
mans.

Notandum tamen Primò: Olim Diacono ex  
commissione licuisse hoc Sacramentũ dispensare,  
præsertim calicem; vt colligitur ex sermone Cy-  
priani de lapsis; & ex verbis B. Laurentij ad Sixtũ  
Papam: & interdũ vtramque speciẽ, vt colligitur  
ex Iustino Apologia 2. pro Christianis: *Absoluta,*  
inquit, *gratiarum actione Presulis, Diaconi dant sin-*  
*gulis præsentibus partem panis, & calicis diluti, super*  
*que facta est gratiarum actio: quod alimentum apud nos*  
*dicitur Eucharistia.* Verùm hoc non facit eo modo,  
quo Sacerdos, sed tanquã qui ministrat Sacerdoti;  
vt ait Clemens Romanus lib. 8. Constitutionum  
Apostolicarum cap. 28. id est, non ex vi suæ ordi-  
nationis, quasi ordinario iure, sed vt Minister &  
instrumentum Sacerdotis.

7  
Dispensatio  
Eucharistiæ  
committi  
potest Dia-  
cono.

Notandum Secundò; Hanc dispensationem  
Diacono non posse committi, nisi quando Sacer-  
dos per se, aut per alium Sacerdotem commode  
non possit: sic enim habet Ecclesiæ praxis, & col-  
ligitur ex Canone *Peruenit*, de Consecratione  
dist. 2.

Sed non  
absque ne-  
cessitate.



dist. 2. ubi iubetur Presbyter per seipsum cōmunicare infirmum, sub periculo amittendi sui gradus, & ex Concilio Carthaginensi 4. cap. 38. ubi requiritur necessitas, ut Diacono committatur. Vnde quando Sacerdos commodè per se potest, aut alij Sacerdotes non defunt per quos possit, non potest Diaconus, etiam si illi præciperetur: quia non potest contra iura obtemperare.

8  
Aliquando id potest Diaconus absque cōmissione.

Notandum Tertio; Possè in certo euentu Diaconum sine commissione, imò etiam nolente Sacerdote Eucharistiam dispensare; ut rectè Dominicus Soto in hunc art. contra Siluestrum verbo *Diaconus*: v. g. ut si aliquis infirmus sine viatico esset decessurus, Sacerdote nolente, vel non valente ei succurrere: in tanta enim necessitate censetur Ius Diacono potestatem tribuere: & colligitur ex Concilio Niceno I. can. 14. ubi conceditur Diaconis, ut proferant Eucharistiã absente Episcopo, vel Presbytero: & ex Gelasio epist. 1. cap. 9. & 10. ubi absolute id conceditur Diaconis in necessitate: præsentia enim Sacerdotis, potestate suã abutentis, instar absentis censenda est.

Inferior Diacono.

Notandum Quarto; Inferioribus Diacono cōmitti non posse; nisi fortè in illo casu, quo infirmus sine viatico esset moriturus: tunc enim videtur etiam Laico permitti posse, modo scandalum absit. Probatur; Quia non est contra Ius diuinum, aut contra vllum Canonem, aut contra aliquam Ecclesiã consuetudinem, quã vim legis habeat, præsertim cùm exempla antiquitatis non defint. Nam olim Eucharistia solet dari in manus deferenda domum; & etiam aliquando per pueros mitti ad infirmos, ut suprã qu. 80. art. 12. dub. 1. num. 37. attigimus ex Dionysio Alexandrino.

Laicos.

D V B I V M.

*Utrum requiratur Iurisdictio ad Eucharistia dispensationem?*

9  
Ad hoc requiritur aliqua iurisdictio.

Respondeo, Requiritur aliquam Iurisditionem ut legitime & sine peccato fiat; vel ordinariam, qualis est in Pontifice, Episcopo, Parocho, & religionum Prælatis: vel certè delegatam, qualem habent illi quibus id ab ordinario superiore conceditur. Ratio est, Quia bona communia Ecclesiã non sunt distribuenda nisi per eos qui in Ecclesia habent auctoritatem: atqui Sacramenta sunt bona communia Ecclesiã. Item hæc administratio pertinet ad officium pastorale & gubernationem Ecclesiã, sicut publica verbi Dei prædicatio. Colligitur ex Concilio Carthaginensi I. cap. 7. & generatim ex Clementina *Dudum*. de Sepulturis.

10  
Sub peccato mortali.

Petes, Quale peccatum est sine tali iurisditione Eucharistiam administrare? Respondeo, Est peccatum mortale sine facultate ordinarij Pastoris Eucharistiam administrare: quia est vsurpatio iuris alieni in re magni momenti, quæ ex se turbat pacem, & debitam gubernationem Ecclesiã. Potest tamen quis excusari per ignorantiam, vel quia bona fide existimat non displiciturum Pastori, vel eum ratum habiturum.

Et excommunicacione.

Religiosi ipso facto sunt excommunicati si præsumperint Clericis vel Laicis Sacramentum Eucharistiã administrare sine copia Pastoris proprii: Clementina *Religiosi*. de Priuilegijs.

11  
Potestas delegandi.

Concessa facultate administrandæ confessionis, aut eligendi confessarij, non intelligitur po-

testas concessa Eucharistiã administrandæ, aut eligendi Ministri Eucharistiã. Ratio est, Quia multæ sunt causæ cur concedatur electio Confessarij, quæ non habent locum in administratione Eucharistiã; & in vno non censetur contineri alterum.

Potest simplex Parochus cuius simplici sacerdoti delegare administrationem Eucharistiã, etiam si ab Episcopo non sit approbatus; quia nullus Canon hoc requirit, & Concilium Tridentinum solum loquitur de Sacramento Confessionis.

Quando in priuilegijs Mendicantium dicitur, eos posse administrare Eucharistiam quouis tempore præterquam die Paschatis Resurrectionis Domini, non est sermo de solo festo Resurrectionis, ut vult Nauarrus; sed de toto tempore Paschali, quando implere volunt præceptum Ecclesiã de annua communione in parœcia: ut sensus sit, præterquam tempore Paschatis, quo volunt implere præceptum Ecclesiã. Vnde etiam ipso die Resurrectionis Religiosi possunt dare Eucharistiam, modo illi quibus dant, iam communicarint vel cōmunicaturi sint in parœcia intra quindecim dies Paschales.

Si Parochi vel superioris copia non detur, possunt fideles vrgente necessitate accipere Eucharistiam per modum viatici à Religiosis, vel quibuslibet alijs sacerdotibus. Est contra Nauarrum cap. 21. num. 52. Hæc enim censetur esse rationabilis voluntas Parochi, vel certè ipsius Ecclesiã, ut in re tanti momenti ad salutem ei succurratur per quemuis ad hoc idoneum. Angelus V. Excommunicatio c. 5. Casu 12. n. 5. citans Directorium, Hostiensem, & Archidiaconum.

Parochus tenetur administrare Eucharistiam subito non solum semel in anno, & in articulo mortis, contra Syluestrum 1. q. 18. V. Confessio; sed quoties ille rationabiliter petit. Itaque, si non nimis frequenter aut sæpius petat quàm eius statum decet, aut reuerentiã Sacramenti conuenit, tenetur. Ita Adrianus in 4. q. 5. de Confess. dub. 8. Sotus dist. 12. Nauarrus in Capit. *Placuit*. de Pœnitentia, dist. 6. n. 152. Ratio est, quia Parochi accipiunt stipendia à fidelibus, non solum ut necessaria præbeant, sed etiam valde vtilia salutis animarum: maxime enim ad munus Pastoris pertinet, vtilia ouibus conciliare: vnde non solum diebus festis, sed etiam alijs frequenter tenentur Parochi sacrum facere vel procurare.

Potest sacerdos extra sacrificium sibi ipsi communionem porrigere: v. g. dum agrotat, si non adsit alius sacerdos, qui id commodè possit: Durandus dist. 13. q. 4. Idem potest laicus in periculo mortis, si sacerdotis copiam non habeat: Caietanus in c. 26. Matth. Ita dicitur Regina Scotiæ quæ nuper indignissimo supplicio in Angliã affecta fuit, habuisse penes se Eucharistiã, & sumpsisse pridie quàm moreretur: sed hæc fortassis dispensationem habuit.

Sacerdos dispensans hoc Sacramentum in peccato mortali, peccat mortifero sacrilegio. Ratio est, quia ad huius dispensationem est ordinatus, & gratiam accepit. Non tamen videtur peccatum mortale, si contingat, quod est contra Adrianum: aut si etiam deferat in supplicatione; quia ad hoc non videtur propriè ordinatus. Similiter nec laicus peccat mortaliter etiam si in peccato mortali existens contingat & deferat ad infirmum; quia ad hoc nõ est cōsecratus. Ita Paludanus & Suares.

QVÆ.

12  
Communitio Iustitialis apud Mendicantes.

13  
Si deest copia Parochi.

14  
Quoties tenetur Parochus Eucharistiam administrare.

15  
Quando Sacerdos sibi ipsi potest porrigere.

16  
Administrans Eucharistiam in mortali peccato.

Eam attingens.